

B. M. II, 165.
h. 44, 17

Sub auspicio Divini Numinis,

8 X 1880 636

Indultu ampliss. Facult. Philosophicæ

DISSERTATIONEM POLITICAM

De

MATRIMONIO

ILLUSTRI EX RATIONE STATUS,

præunte Barclajo, Lib. 3. Arg. 15.

Eruditorum examini proponunt

PRÆSES

M. JOH. CHRISTOPH. Köhler /

Bornensis Misnicus,

8 RESPONDENS

JOHANN - MELCHIOR Duerbach /

Longo-Salifsâ Thur. B. A. & Phil. Baccal.

ad diem 29. April.

A. O. R. clō Idc LXXVI.

Hinc

Ad Regum thalamos numine prospero

Adsint cum populis ritè faventibus!

Loco & horis consvetis.

LIPSIÆ,


Typis Viduæ JOHANNIS WITTIGAU.

K. S. H. D. Rosen

822 22

II R
4836





rad
fun
ti p
cla
ent
ut n
pon
fac
res
pub
scri
Ide
mu
pra
per

No
ma
Es
ri
stuc
que





J E S U!

PROOEMIUM.



Vemadmodum ii, qui noctu iter facere necesse habent, de splendore quòdam undiquaque solliciti, circumspiciunt, ut ejus ductu tantò commodiùs ad destinatum locum pervenire valeant. Haud absimili ratione nos, in hujus materiæ plus quàm Cimmeriis tenebris, lucis radiorumquæ omnium inopes, jam diu desideravimus ex tam profundâ caligine emergere. Tantùm lux & qui facem adhuc vacillanti præferret, deerat, cum derepentè insignis aliquis fulgor Joh. Barclaji, Viri perelegantis ingenii, & exquisitâ politicarum rerum scientiâ famigeratissimi, emicuit, me adeò sui admiratione detinens, ut non potuerim non ad ejus ductum, hoc, quicquid est laboris, disponere. Optimè quidem novi, arbusculum additò pedamentò, faciliùs posse succrescere, & contra ventorum tempestatumquæ furores fulcimentò muniri. Æquè tamen succurrit, neminem facilè in publicum provolare, qui non insignis cujusdam Viri auctoritatem scriptò præferat, & ejus titulò quasi benè præparatum pectus roboret. Ideoque nos cum Barclajum selegerimus, satis tutos certè arbitramur conatus nostros, sub tutelâ viri, cujus aurea monumenta Gallia prædicat, 1) Anglia promulgat, Roma eloquitur. Sic enim in compendio quasi Hugo Grotius de nostro cecinit:

*Gente Caledoniis. Gallus natalibus. Hic est
Romam Romano qui docet ore loqui.*

Non jam elogia eruditorum cumulamus (quæcunquæ sint, quibus malè audiat) Sanè prodiit tandem aurum ex marchasitâ, inveniunt, 2) & uniones ex matrice conchâ, Icon animorum Joh. Barclaji; cui auctori, non modò præstanti facundiâ; sed omni genere laudis, quæ ex literarum studiis elegantioribus provenire solet, ne ex veteribus quidem Romanis quæquam anteponimus. Hoc saltem notatu dignissimum est, quod 3)

A 2

Riche-

1) Conf. præf. edit. Noriberg. an. 1673. 2) Naudæus Bibliograph. polit. 3) in edit. Norib: præf.

Commenda-
tio Barclaji.



Richelius præsentis ævi non incelebris Heros, Scriptoris nostri Argenidem assiduis manibus versavit, præceptricemque quasi ac directricem habuit, illius regiminis, quo deinceps Galliam venerabilem juxtâ, terribilemque, toti Germaniæ reddidit. Et sufficit etiam fortè in commendationem Auctoris, si vel sola verba de matrimonio illustri, ex abditò prudentiæ civilis sacrariò deprompta, justè pensentur, sanè ut ex unguâ Leonem, ita non minus ex hoc brevi discursu, totum viri ingenium, ex asse quilibet intelligere poterit.

Materia Differt. inserviens.

Nam sic ille 4) de matrimonio illustri verba facit: Privatorum est eligere matrimonia ex amicitia affectu & morum concordia; Nobis (Rex ad filiam ita differens inducitur) illa svavitas exuenda. Regum enim fortuna est, ut nunc indignos & exosos per sanctissima fœdera sibi jungant, nunc omnium nexuum jura, omnisque sanguinis charitatem inhumana necessitas negligat. Charissimus esse solet, qui utilitate præcipuâ potentiam nostram alit, & affinitates pulcherrimæ censentur, quæcunque regnum stabiliunt. Scio à regibus sæpè filias aut sorores spargi in eos, quos fallere amicitia specie volunt, aut ad tempus placare, nihilque deinde sui sanguinis pignoribus, nihil nominum, quæ mutuò inierunt, reverentiâ motos pacem & bella ex temporum & fortunæ æstimare ingenio. Quæ omnia brevi commentario politico, quoad per Dei gratiam poterimus, illustranda erunt.

MEMBRUM I.

DE

MATRIMONIO PRIVATO.

§. I.

Matr. privatum differt ab illustri.

AGimus igitur primò de matrimonio Privatorum, quoniam statim in initio Barclajus ejusdem mentionem ingerit: Quamquam non ignoremus, privatos longè à Majestate differre, & Reges, non infitâ solùm animi magnitudine supra cæteros mortalium evehi; quâ qui excellunt, cæteris etiam imperare debent, 5) sed etiam ex in-

4) lib. 3. Argen. cap. 15. 5) Boxh. polit. 1. 4. 3.

ex innatâ quafi quâdam inter subditos admiratione, venerationis ac dignitatis lumine superiores esse. Inde enim factum, ut cum primis temporibus ignotum esset Majestatis nomen, *veteres id in subditis esse magistratus crederent, quod in aliis Deum ipsum*; 6) Et asserit Cicero: *imperare & obsequi omninò esse divinitatem emulari*. 7) Augustinus ipse *majestatem principis appellat traducem cæli*. Quoniam reverà Deus peculiarè notam ipse vicariis suis imprimit, quâ emineant inter quod suos, & ab iis sumâ reverentiâ ac metu colantur. 8) Inde evenit divus Augustus solo vultu & aspectu, Actiacas legiones exterruit; 9) Ac cum idem aliquando præteriisset militem gregarium, & ab illo, caput atque oculos demittente, quæsiisset, cur id faceret, respondit miles: *Majestatem ejus humiles oculos ferre non posse*. 10) Sic Majestas Marii adeò deterruit servum ad interficiendum eum missum, ut intactum Marium fugâ deseruerit. 11) Pari fermè ratione sicut Divus Julius seditionem exercitus unò verbò compescuit. 12) Ast cui non è contrà de subditis & privatis abundè constat, *ipsis solam obsequii gloriam relictam esse*. 13) *Illos ulteriora mirari, præsentia sequi, bonos imperatores votò expetere, qualescunque tolerare*. 14) Adeoque stellas tantummodò nebulosas esse, cum Principes instar primæ magnitudinis stellarum ex altò luceant, & radios suos dispergant. Quare quò magis imperans parentem superat, eò certè magis illustre matrimonium, à matrimoniò privatò etiam distingvitur, non quidem propter essentiam, sed propter jura saltem tantæ majestati annexa. Et oppositum ideò matrimonium privatum, matrimoniò illustri hic præmittitur, ut posterius ex priori eò clarius tantum elucescat. Planè uti nunquam stellæ jucundius radiant, quàm nocte maximè illuni.

§. 2. Quæritur igitur statim non injustè quidnam spectare in matrimoniò suò privati maximè soleant? & Respondet Barclajus eligere eos matrimonia ex amicitia affectu & morum concordia. Nam licet olim Lycurgus noctu ignotos misceri conjuges jubebat, 15) & Dapsolibyes olim cæciore ac tantum non fortuito impetu, matrimonia sociasse legimus, 16) dum in contubernium forsimum discumbentium fœminarum irruebant, illam quisq; pro uxore habituri.

A 3

- 6) Plato citatus à Boxh. d. l. 7) Cic. 2. de Orat. Sectione 164. & in partit. Orat. 106. 8) Boxh. d. l. explic. 9) Tac. i. Ann. 42. 4. 10) Svet. Aug. c. 79. 11) Vell. 2. 19. 3. 12) Tac. i. Ann. 42. 4. 13) Tac. 6. Ann. 8. 5. 14) Tac. 4. Hist. 8. 3. 15) Plut. Lycurg. 16) Stobæus serm. 42.

I.
Eligendos

habituri, quàm coeca fors primam in nexum brachialem intulisset. Attamen quoniam inter Christianos hæ nequissima pollutiones locum non inveniunt, merito eligunt potius quàm sumunt conjugem, quotquot unquam privati, sanioris Orbis mœniis, ambiuntur. Imprimis quoniam uxor parata mariti merces esse debet, quæ vel stultitiam improvido emtori exprobrat, vel circumspectam debitamque sollicitudinem perpetuâ laude, & prosperitate dotet. Ita enim est: & *Mala enatio semper ingrata est, eoque maxime, quod exprobrare Domino stultitiam videtur.* 17) Accedit & illud, quod Siracides, *satius esse, dixit, cum leone & Dracone commorari, quàm cum muliere nequam* 18). Adeoque cum Simonidem decem olim fœminarum genera, secundum proprietates octo animalium constituisse legimus; ita, ut una suis, altera Vulpis, tertia Canis, quarta Asini, quinta Mustelæ, sexta Equæ, septima Simiæ, octava Apiculæ, nona Maris, & denique ultima telluris naturam participet; (quas proprietates postmodum Phocylides in quatuor classes redegit, ita ut Cani, Sui, Equæ, atque api singulas ex mulieribus assimilaret, & reiectis reliquis omnibus, huic postremæ denique palmam concederet) 19). O quidni inter tot Syrtes, Scyllas & Charybdes, optimam quamque eligere potius, quàm rapere inconsultè in matrimonium viri pariter omnes ferè necessarium æstiment. Ne verò, viri soli hanc electione se felices æstiment, & fœminis privatis sua matrimonia eligenda conceduntur. Nam ut toti hominum generi, ita & viris sua vitia sunt, dum e.g.

*Imberbis juvenis tandem custode remotò
Gaudet equis canibusq; & aprici gramine campi,
Cereus in vitium flecti, monitoribus asper.
Utilium tardus provisor, prodigus æris:
Sublimis, cupidusq; & amata relinquere pernix* 20).

Et mox hunc

————— ——— ——— *Furor cogit sequi
Pejora. vadit animus in præceps sciens,
Remeatque, frustra sana consilia appetens* 21).

Alium alibi Ebrietas plus unâ parte vitiosum sistit, quoniam nempe ipsa non quidem facit vitia, sed tantum prodit, sic, ut tunc impudicus morbum profiteatur & publicet: *Tunc petulans non linguam, non manum*

conti-

17) Plin. Ep. 1. 24. 18) Syracid. 25. v. 23. 19) Arnif. jur. Connub. p. 9. n. 7. 20) Horat. Art. Poët. v. 140. 21) Sen. Hip. 177.

contineat : crescatq; insolenti superbia crudelitas sevo : malignitas lividos
imò omne vitium grassetur & prodeat 22), Et quid multis omnia re-
censeam : Certè si vitia erunt donec homines 23), fatis credo habere
fœminas, cur (quod in Politicis alias legimus) *Electio optimum quem-*
que, etiam in matrimonio, inveniat. 24). Si ex imbecillitate iudicii si-
bimet ipsis consulere liberi fortè nequeunt, liberam parentibus com-
mittant optionem necesse est, iisque permittant eligere. Nam id
olim in more quoque fuisse legimus, & conqueritur inde Simo tan-
quam grandè nefas : Pamphilum

Adeo impotenti esse animo, ut præter civium
Morem atque legem, & sui voluntatem patris, 25)
Tamen hanc habere studeat, cum summo probro.

Oetœus item Hercules, Hyllo filio despondet Jolen his verbis :
Tuis hanc facibus & flammis para 26)

Ut quidem breviter expressit Seneca,
Quamquam Sophocles in Trachin. Herculem seriò præcipientem in-
troductat, sic, ut si pietatem colere, & juramenti memor esse filius ve-
lit, quo Patri sit devinctus, Jölem istam uxorem ducat, nec Patri tam
protervè obluetari audeat. Quod nec apud nos etiam jam pridem
abrogatum cernimus, dum Liberi, omnes uti ex natura Parentibus de-
bent obsequi; ita etiam hoc casu arbitria eorum revereri & pro ratis
juxtà habere adstringuntur. Sed quicquid sit, quod de Parentum
seu filiorum, filiarumque electione amplius hîc congerere potuisse-
mus; impræsentiarum saltem hoc sufficiet : Electionem in matrimo-
nio privatorum locum habere, ostendisse.

§. 3. Nunc quoniam Electio certos quosdam præsupponit
stimulos, quibus adacti nupturientes; hoc aut illud eligant, istud ali-
udve respuant, sequitur duplex etiam hîc in auctore fundamentum,
cui Electio privatorum inhærere, & ad quod tanquam normam o-
ptionem suam facere creditur. Et primū quidem est Affectus ami-
citæ. Non cœcus ille atque improvidus amoris ardor, qui utram-
que aliàs paginam in matrimoniò facit, & à quò olim

I I.
ex affectu ami-
citæ.

DEUM esse amorem, turpiter vitiò favens,
Finxit libido : quòque liberior foret
Titulum furori numinis falsi addidit. 27)

vel

- 22) Sen. Ep. 83. ant. fin. 23) Tac. 4. Hist. 74. 4. 24) Tac. 1. Hist. 16. 2.
25) Ter. Andr. Act. 5. sc. 3. 26) Sen. Herc. Oet. v. 1491. 27) Sen.
Hipp. 194.

vel à quo non immeritò postea ex veteribus Poëtis aliquis jucundè
monuit:

Si sapias, amentem dicas, non, lector, amantem

Nam nihil insanus mentis amator habet. 28)

Sed candidus, castus & prudens simul amicitiae affectus hinc primum
locum occupat, qui praesuppositò castò & indefessò amore, ita nu-
bentium devincit animos, ut ex voluntatum, studiorum, sententia-
rumque summâ communione, perfectissimæ tandem amicitiae affe-
ctus, amor scilicet conjugalis, eveniat. Ac huic etiam competit, quic-
quid hinc inde de amicitia autores referunt; *Eâ nihil melius à diis im-
mortalibus homini datum. 29) Nihil tam naturæ aptum, tam conveniens
ad res vel secundas 30) seu adversas fore. Sine amicorum benevolentia,
neque in adversâ, neque in secundâ fortunâ quenquam vivere 31) Imò nec
ullam jucunditatem, sublatâ amicitia aut esse, aut inveniri posse. 32) Adeo-
que ut breviter nos expediamus; Affectus amicitiae nunc quidem
iste dicitur, qui locò fundamenti candidum ac sincerum amorem po-
situm agnoscit, cui superstruitur ab amante & amatò postmodum
conformis & unanimis voluntatum consensus mutuaque benevo-
lencia; usque tandem peractò matrimoniò felicissimè in Oeconomica
seu domesticam amicitiam affectus iste transformetur.*

III.
ex morum
concordia.

§. 4. Sequitur alterum, quod est Concordia morum. Sanè
enim si *jucundissima est amicitia, quam similitudo morum conjugavit. 33)*
Imò etiam, *si plus valet in amicitia similitudo morum quam affinitas, 34)*
*Et Otto facile summum inter amicos Neronis locum tenuit congruentiâ mo-
rum, 35) o quidni & in matrimoniorum electione ad concordiam
morum haud rarò respici probabile erit. Nihil propemodum amabi-
lius, nec copulatius esse novimus, quam morum bonorum similitudinem 36).*
Uti *Nec profectò etiam ullâ vi possunt coire, quæ naturali divortio dissi-
dent, nullaque tam fidelis est copula, quæ in diversum tendentia nexu suo te-
neat. 37) Et cur non rectè Juvenalis etiam in Electione suâ ita dixerit:*

Malo Venusinam, quam te Cornelia, mater

Grachorum, si cum magnis virtutibus affers

Grande supercilium, et numeras cum dote triumphos 38)

Cur non privati etiam illud Ovidii arripiant: 39)

Quam

- 28) Faustus ex Lex, Buchn. in Amor. 29) Cic. Læl. 30) ibidem. 31)
Cic ad Marcell. Fam. lib. 4. 32) id. per Planc. 33) Off. 1. 34) Nep.
25.5.3. 35) Svet. Oth. 2. 36) Cic. 1. Offic. 37) Nazar. Paneg. Const.
6.10. 38) Juven. Sat. 6. 166. 39) Ep. Heroid. 9. 29.

Quàm malè inæquales veniunt ad aratra iuveni;

Tam premitur magno conjugè nupta minor.

Non honor est, sed onus, species læsura ferentes:

Si qua voles aptè nubere nube pari.

Imprimis huc pertinet omnis doctrina de observandâ in matrimo-
niô æqualitate, ut sc. more germanorum veterum eâdem iuventâ, pa-
res validique misceantur, ac robora parentum etiam liberi referant. 40)

Neve etiam *Senex edentulus, & capularis & decrepitus, qui*

Tandundem, quasi signum pictum in pariete, 41)

Immemor vivat moniti: *Firmissimam intercedere inter pares amicitiam,* 42) virginemque sibi planè disparem aut inæqualem moribus
matrimoniô jungat. Imò verò quilibet potius sociam & ætate &
moribus, & reliquò vitæ genere sibi aptam eligat. Monuit hoc ipse
etiam Aristoteles, 43) ad perpetuam amicitiam stabiliendam, tam-
diu mores amici pertentandos & probandos fore, donec modius
salis cum eo absumtus sit; Quod si ad Conjugium nunc quidem ap-
plicetur, uti etiam applicat Traj. Boccalini 44) & de observandâ
sedulò conformitate morum à nobis intelligatur, neminem facile
inveniri credimus, qui non observatâ sedulò concordiam morum,
cum paribus libentissimè pacisci cupiat.

§. 5. Fatemur quidem sæpius evenire, ut apud privatos etiam
præter amicitiam affectum, & morum concordiam, divitiarum co-
pia non rarò in matrimoniô consideretur, adeò, ut iis secundum il-
lud Martialis 45) deveniatur

Accedit non
rarò electio di-
vitem.

Protinus ad censum: de moribus ultima fiat

Questio,

Dumq; dos sit nullum vitium vitio vertant. 46) Licet etiam postea
pro solatiô & adiutoriô tristitiam sæpè & mœrorem ex conjugio
reportent. Sic enim est, *insolens malum creditur, beata uxor, que
cum immensum pondus auri attulerit, cum pecuniâ arcas nostras one-
raverit, quod aliud, quam beatè servimus? Crede mihi, inquit Sene-
ca, volent regnare in suis divitiis, Omnes uxores divites.* Indè nimis se-
rò, cum jam occurrentem Antemona audiisset:

Faxo ut scias

B

Quid

- 40) Tac. M.G. 20. 4. 41) Plaut. in Mercat. 42) Curt. 7. 8. 27. 43) 8.
Ethic. c. 4. 44) Relat. ex Parnasso Cent. 1. 17. 45) Sat. 3. 46) Plaut.
Persa. 47) Sen. 1. Contr. 6. 48) ibid. ap. Sen.

Quid periculi sit, dotata mulieri convicium dicere, conqueritur è contra Demænetus 49)

Argentum accepi, dote imperium vendidi.

Quæ omnia cautè ut evitarent privati, Lycurgus olim *Virgines sine dote nubere jussit, ut uxores scilicet eligerentur, non pecunia, severiusque matrimonia sua viri coërcerent, cum nullis dotis frænis tenerentur.* 50) Iisdem difficultatibus motæ similiter aliæ gentes dotibus modum ac leges præscripsere: Uti etiam apud Germanos 51) olim non uxor marito, sed uxori maritus dotem afferebat. Sic Marsilienses 52) maximam dotem præfinierant centum aureos, & Veneti 53) adhuc hodiè, si Postellò credimus, Patritiis terminum dotis constituerunt sex millia ducatorum aureorum, (licet Bodinus 54) summam longè minorem ipsis tribuat.) Pari ratione Russos non argentum, sed vestes, cibos, eqvos, boves & id genus quædam alia in dotem tradere solitos esse legimus. 55) Ut taceamus reliquas populorum cautiones, quibus semper solliciti de nimia dotis molestiis, legibus etiam tantò malò prospicere necesse duxerunt. Sanè quicquid denique hodiè bonæ leges jubent aut præcipiant, seculi nostri vitio ita nihilominus auri sacra fames undecunq; mortaliù invasit pectora, ut citius mille, qui de dote, quàm vel unicum, qui de conjugè cogitet, inveniamus. Et nusquam est, qui Martialis exemplum imitari studeat & dotem ut retia inextricabilia evitet: Nam sic ille de se ipsò profitebatur:

Uxorem quare locupletem ducere nolim

Queritis! uxori nubere nolo meæ. 56)

Quemadmodum nec Themistoclis quisquam observat monitum: *Malo virum qui pecuniâ eget, quàm pecuniam, quæ viro.* 57) Ratio videtur ista: Quoniam

Scilicet uxorem cum dote, fidemq; & amicos,

Et genus & formam Regina pecunia donat. 58)

VI.
& Formosorum.

§. 6. O in quem proh dolor! incidimus Labyrinthum, dum multi Privatorum in matrimonio etiam Formam prædominari patiuntur, & cum Indis quibusdam nuptiis coëunt, non genere ac nobilitate, sed tantummodo electam corporum specie, 59) sentientes: *Quod Virgo formo-*

49) Plaut. A. sin. 50) Justin. 3. 3. 51) Tac. M. G. 18. 2. 52) Strabo Geogr. lib. 4. 53) Post. lib. de magistr. Athen. c. 33. 54) lib. 5. de Rep. c. 2. 55) Arnib. J. C. p. 56) Epigr. 8. 22. 57) Cic. Offic. 2. 58) Horat. Epist. 1. 6. 59) Curt. 9. 1. 26.

formosa, etsi oppido pauper, tamen abundè dotata sit. 60) Quamquam eos omnes meritò irrideat Olympias Alexandri mater, eos scilicet solis oculis uxores ducere. 61) Imò etiam Plutarchus, 62) qui summo vitiò vertit Syllæ, quod ex folò intuitu exarserit in amorem Valeriæ, in id vitii cadens adultus senex, ob quod jam pridem debuisset condemnare temeritatem juvenilem. Nam si verum quoque fateri volumus, quid quæso perfectissima quoque & absolutissima in homine mortali pulchritudo est? Certè egregiè respondet Seneca: 63)

*Anceps forma bonum mortalibus;
Exigui donum breve temporis;
Ut velox celeri pede laberis!
Non sic prata novo vere decentia
Æstatis calidæ dispoliat vapor;
Sevit solstitio cum medius dies,
Et noctem brevibus præcipitat rotis?
Langvescunt foliò lilia pallido,
Et gratæ capiti deficiunt rose:
Ut fulgor teneris qui radiat genis
Momento rapitur, nullaq; non dies
Formosi spoliū corporis abstulit.
Res est forma fugax; quis sapiens
Bono confidat fragili? dum licet utere
Tempus sed tacitum subruit, horaq;
Semper præterita, deterior subit.*

Non jam regerere hic aut affirmare audeo, quod vulgò dicitur:

Fastus inest pulchris, sequiturq; superbia formam,

Imò nec illud: 64)

Lis est cum forma magna pudicitie. 65)

Nam reverà difficile custoditur quod multis placet, 66) & sæpiùs argumentum deformitatis pudicitia æstimatur; 67) Fæminæq;, quæ malam faciem habent, ut plurimum pudicæ creduntur, dum non animus illis deest, sed corruptor 68). Sed hoc tantummodò dicam nunc quidem: Uti Pulchritudinem in matrimoniò privatorum quàm sæpiùs locum

B 2

habere

- 60) Apul. lib. 2. Apol. 61) Athen. 13. 32. 62) Plutarch. in Syll. 63) Sen. Hippol. v. 760. 64) Ovid. 1. Fastor. 65) Ovid. Epist. 15. 66) Syr. Mim. sent. 67) Sen. 3. Benef. c. 16. 68) Sen. lib. 2. Controvers. 1.

habere evenit; ita certe non injustè etiam quodammodo à quibusdam observatur; si saltem magis cum Senecâ 69)

*Probitas, fidesq̄, conjugis mores, pudor
Placeant marito; (dum) sola perpetuò manent
Subjecta nulli mentis atq̄ve animi bona
Florem decoris singuli carpunt dies.*

Aliàs

Si verum excutias, facies, non uxor, amatur. 70)

Ap. Privatos
non obtinet
Ratio status.

§. 7. Atq̄ve hæc sunt etiam, quæ in præsentiarum de privato matrimonio monere volumus. Quamquam sedulo iterum atq̄ve iterum prospectum nobis volumus, hæc omnia nulla aliâ de causâ matrimonio illustri usq̄ve dum præmissa esse, quam ut partim Barclajji vestigiis eò tenacius inhæreamus, partim etiam ex his ipsis ostendamus, in quantum illustria à matrimoniis privatis abeant, ideò quidem, quoniam ut plurimum in aulâ multum venerationis sibi vindicat, communissimum notissimumq̄ve idolum: Ratio status. Quod autem etiam privatos quasi aliqua sui status ratio extimulare nonnunquam visa est in eligendis divitum formosarumq̄ve conjugis, id ex voluntariâ tantum animi perversitate & seculi nostri vitio sic evenire opinamur, cum illustres animæ hoc adhuc præ se jactare valeant, quod quasi coacti ipsi & propter Regnum à regulâ communi deflectant. Illi verò quasi voluntariè insanire videantur.

MEMBRUM II.

DE

MATRIMONIO ILLUSTRIS.

§. 1.

Matrimonium
illustre differt
à privato.

I.

In exeunda
Svavitate.

JAM altius nobis ingrediendum iter, & ad Regum, Principum, Potentumq̄ve aulas, in quibus illustrium matrimoniorum solennitates celebrantur, provolandum est. Ad quæ uti nemo facile, nisi aulicî cujusdam moderamine stipatus, intromittitur: Ita egregie quoq̄ve nobis eò molientibus, Barclajus viam præparat, & Regibus omnem Svavitatem, quam privati, ut dictum in conjugio quarunt, exuendam dicit. Nam quamvis aliàs mirificè commendantur Principes, qui in vestitu, aliisque externis haud paululum à

privato

69) Sen. Octav. 538. 70) Juven. Sat. 6.

privatis, vulgatisq; usu abhorrent, uti forte Alexander, 1) aut Hiëro
 Syracusanus, 2) vel ipse deniqve Vespasianus, 3) exinde historicis
 celebrantur. Tamen in matrimoniis ineundis Regum Principumq;
 diversa fata sunt, & hoc passu eos à privatis quam longissimè abire
 necesse est, adeò ut non incongruè etiam hic obtineat illud Alphonsi
 Regis Arragoniæ, qui cum intueretur exemplum Alexandri oblatas
 à Dariò divitias, disvadente licet Parmenione, respicientis; *Plurima
 interdù privatis, quæ Regem non decerent, convenire, effatus est.* 4) Quip-
 pè svavitas, aut quicquid etiam jucundum privati vel ex Electione,
 vel affectu amicitiaë aut morum deniqve concordia in matrimoniò
 se percipere autument, hic planè Regibus principibusq; exuendum
 est. Quoniam scilicet *neutiquam eliguntur, ut se ipsos molliter curent,
 sed ut per eos, si potius qui elegerunt, bene beateq; agant.* 5) Inde evenit, Hinc infantia
 ut adhuc in cunis etiam vagientes, aut admodum parvuli desponde- sponsalia
 antur sibi invicem. Nam ita Deidemia soror Pyrrhi desponsa fuit
 Alexandro, Alexandri M. & Roxanis filio, infanti; 6) ita Augustus
 adhuc adolescens sponsam habuit P. Servilii Isaurici filiam, quam
 tamen non duxit, sed ex consilio exercitus Claudiam potius itidem
 nondum nubilem postea in matrimonium adscivit. 7) Ita Claudius
 Imperator *calamitates domesticas ab immaturis nuptiis auspiciatus est,*
 & Sillano itidem nondum puberi eodem modo despondit filiam. 8)
 Imò, ut in nostris tantum inquiramus annalibus; fanè Richardus II.
 Angliæ Rex, Caroli VI. Gall. Regis filiam tam perdidè amavit, ut
 eam etiam inhabilem adhuc Veneri, & Duci Britanniaë jam ante de-
 sponsam, in matrimonium secum abduxerit. 9) Quæ omnia uti
 longo ordine cum aliis recenset Arnisaus. 10) ita nullum propemo-
 dum inveniemus seculum, modò in Gallias pariter, Hispaniam atq;
 Angliam oculos deflectamus, ubi non magnò numero ingens exem-
 plorum copia sese offerat.

§. 2. Sic enim est, Regum fortuna jubet, ut nunc indignos
 etiam & exosos per sanctissima fœdera sibi jungant;
 Hoc est, ut præter amicitiaë affectum, morumqve concordiam, impa-
 res etiam & inimicos in generos nonnunquam eligant. Quippè dum

B 3

prin-

- 1) Curt. 3.6.19. 2) Liv. 24.5.pr. 3) Tac. 2. Hist. 5.1. 4) Freinsh. ad Curt.
 4.11.14. 5) Xenoph. memor. Socr. l. 3. 6) Plut. in Pyrrho. 7) Svet.
 August. c. 62. 8) id. in Claud. c. 26, & 24. 9) Arnis. jur. Conn. p. 63.
 10) vide eund. Arnis. d. l.

aut exorum
conjunctione.

princeps velut ara est omnibus posita, à qua & digni & indigni voto-
rum suorum summam expetunt, 11) non potest non etiam haud rarò
fieri, ut tantæ majestati longè impares sanctissimò matrimoniorum
foedere cum ipsis copulentur. Notissima est Astyagis cum filiâ Man-
dane historia. Cum sc. ex naturalibus filiæ enatam vitem, cujus pal-
mite tota Asia obumbraretur, viderat, consultiqve harioli, nepotis
magnitudinem & amissionem Regni eò portendi, respondissent, post-
modum filiam, ne paterna maternaqve nobilitas nepoti animos ex-
tolleret, neqve claro viro, neqve civi, sed ex gente obscurâ, Cambyfi
mediocri viro in matrimonium tradidit 12). Sic similiter Darium,
spe nuptiarum sororis suæ, medicos pellexisse, ut Alexandrum inter-
ficerent, Parmenio contestatur 13). Quid quod & Cosmus Etruriæ
Dux, licet magnas & illustres affinitates, novo imperio firmando ne-
cessarias ambiret, tamen ut in partes suas traheret Pontificem Julium,
unam ex Filiabus suis, Fabiano adhuc impuberi, Papæ ex Balduino
fratre nepoti, quamvis despecto homini nihilominus despondit 14).
Ex quibus, singulis omninò judicandum, hic juxta Plautum *indigna*
digna, modo Rex ea faciat, estimanda esse 15). Accedit nunc illud quoq;
quòd Reges non rarò, magnò inimicorū numerò se circumvallatos
sentiant, citiusq; propemodū cœlum sine nebulâ, quam regnū suum
sine inimicis experiantur. Nam sic Romæ olim *ubi subactò orbe, & e-*
mulis urbibus, regibusq; excisis, securas opes concupiscere vacuū esset: Pri-
ma inter patres plebemq; certamina exarsere, modò turbulenti tribuni,
modò consules prævalidi, & in urbe ac forò tentamenta civilium bellorum,
quæ in flammam adulta centum posthac annis Rempublicam afflixere 16).
Unde si simili fortè inimicorū furore regnum infestetur, licet Reges
furiosissimè exacerbatos in se hostes noverint, tamen haut rarò per
matrimonia eosdem hostes principibus reduniri tot exemplis com-
pertum est. Nam quoties olim id ab infensissimo Alexandro per
nuptias filiæ & magnificam dotem Darius postulavit? 17) Quàm
promptissimè Xerxes, Pausaniam, infensissimum hostem, & qui Bizan-
tiò expugnatò complures Persarum nobiles ipsosqve regis propin-
quos, ceperat, in generum adoptare desiderat, hæc per epistolam in-
dicans, modò Græciam subjugare laboraverit, certè tunc nullius rei
à se

11) Didac. Sav. Embl. 39. 12) Just. 1. 4. 13) Curt. 3. 6. 4. 14) Thuan. Hist.
14. fol. 418. 15) Plaut. Captivis. 16) Tac. 2. Hist. 38. 2. 17) Curt. 4.
5. 1. & 4. 11. 5.

à se repulsam laturum esse 18). Sanè Alexander Porum & Taxilem
 Indiæ Reges & vetera retractantes odia melius in amicitia firmare
 non potuit, quàm beneficiò mutuarum affinitatum 19). Et sic Caro-
 lus V. etiam infensissimò æmulò Francisco I. sororem suam Eleono-
 ram matrimonii fœdere adjunxit 20). Sicq̄ve Wenceslaus Dux Sa-
 xoniæ Elector, cum Principem Saxonie Magnum bello peteret, ac ipsi
 urbem Luneburgum obsidione eripuisset, quò Ducatus ille à Princi-
 pibus imperturbatus pacificusq̄ve maneret, ambas suas filias Marga-
 retham & Annam, unam quidem Duci Bernhardo, alteram verò Fri-
 derico Brunsvicensi prædicti Principis Magni filiis associavit 21). Et
 quæ similia in auctoribus hinc inde inveniuntur exempla. Usq̄ve
 adeò frequentia sunt inimicissimorum quorumcunq̄ve in aulis Re-
 gum ad invicem matrimonia! nihilq̄ve etiam magis adhuc hodiè à
 toto Christiano orbe votis imploratur, quàm ut recens exorta septen-
 trionalium Regnorum discordia, hoc iterum vinculo aboleatur &
 desinat.

§. 3. Jam si quæritur, cur se Reges ita circa matrimonium gere-
 re teneantur, *Fortuna* illorum est, quæ tam severè eos in suas leges
 jurare adigit. *Fortuna sc. quæ rumpit interdum, ac moratur proposita
 hominum, 22) Casaremq̄, olim virum humana ope planè invictum, quam
 gravissime concussit 23) unde postmodum recedente militū acie cum
 idem ipse descenderet eq̄vò, sisteretq̄ve fugientē suorum exercitum
 non immeritò acriter ab eodem increpita perhibetur 24) Ac uti-
 nam non maximis subinde experimentis contestatum esset, quantum in om-
 ni re fortuna 25) posset.* Hoc utiq̄ve certissimum est; ex omnibus re-
 bus, præcipuè *Imperia excelsa fortunæ objacent. 26) Ac ut eadem im-
 peria eò melius conservarentur, profectò maximis quibusdam viris
 divinitus quasi adju. Et a fortuna creditur. 27) Habent hoc aliàs in mo-
 re Reges ut venienti Fortune occurrere soleant, 28) iisq̄ve quasi fato
 quòdam inclinatio in hos, offensio in illos insit. 29) Hinc quidni Fortune
 quoque eorum jubeat, ut nunc indignos & exosos per sanctissima
 matrimoniorum fœdera sibi jungant.* Observavit hæc omnia
 quam cautissimè Alexander, cui licet incredibilis planè & fidem om-
 nem

18) Nep. 4. 2. 3. & 5. 19) Curt. 9. 3. 22. 20) Arnib. jur. Conn. p. 115.

21) Spangenh. Chron. Mansfeld. cap. 300. 22) Vell. 2. 110. 1.

23) Vell. 2. 73. 3. 24) Vell. 2. 55. 3. 25) Vell. 2. 116. 3. 26) Sen. Oedip. 6.

27) Cic. pro Leg. Man. 28) Tac. 2. Hist. 52. 29) Tac. 4. An. 20. 4.

innem excedens fortuna favebat, 30) quæ indulgendo nunquam fatigata, 31) perpetuò averterat hostem 32) inque pericula vectum continuâ felicitate protexerat, 33) imò ab ipsa morte revocarat, 34) ut etiam solus mortalium in potestate eandem habuisse dicatur, 35) tamen nihilominus eadem ingens Alexandri fortuna eundem postea impulit, ut infensissimi sui hostis Darii filiam sibi associaret, proximisque amicorum auctor esset ex captivis quoque generandi liberos, 36) ideò scilicet, ut *sanctissimò istò foedere omne discrimen victi pariter victorisq̄, excluderet atque destrueret.*

III.
Consanguineorum amicumque neglectione.

§. 4. Dicis: Si Fortuna Regum adeò in indignos & inimicos se benevolam exhibet, quodnam jucundius fatum ipsos Regum propinquos consanguineosque beabit? Sed Respondet Barclajus: Omnium nexuum jura omnisque sanguinis Charitatem ap. Principes non raro planè negligi. Nam id omnis etiam & cujuslibet seculi historiae palam tot exemplis comprobant. Ac jam olim laudatus fuit Scipio Nasica, quod Patriam cognationi præferens, *quicquid publicè salutare non esset, privatim similiter alienum existimaverit.* 37) Jam antea monuimus Pompejum atque Cæsarem arctissimâ invicem affinitate conjunctos fuisse; *Licet postea in gladios cedesq̄, civium furente ambitu, cujus neque finis reperiebatur neque modus, alter alterius exitium accerbissimis præliis promoverit.* 38) Et quid non Anglia superiori seculo, æquè notabile, regnante Mariâ peractum Drama, exhibuit? Quippè dum Maria Regi Hispanorum Philippo II. jam dum nubere decreverat, Elisabetham, Mariæ sororem variis conjurationibus, quarum antesignana etiam credebatur, has nuptias impugnare Papistæ jactaverant. Ideoq̄; dum accedebat crimen, Elisabetham Reformatorum Religioni esse addictam, eamque mortuâ Mariâ in Angliam esse introducturam, à sorore in sororem habita quæstio est, inque carcerem conjecta Elisabetha, procul dubio morte crimen, quod ipsi objiciebatur, expiasset, nisi postmodum Maria præ mœrore defuncta, hanc & vinculis & mortis metu liberasset. 39) Et quid multis? Adeò Reges principesque omnium nexuum jura omnisque sanguinis charitatem quandoque negligunt, ut ob defectum sobolis successorisque uxorem ipsam per divortium non

Hinc divortia.

30) Curt. 3. 13. 36. 31) Curt. 8. 3. 1. 32) ib. 4. 9. 22. 33) id. 10. 5. 35.
34) ibid. 35) ibid. 36) 10. 37) Vell. 2. 3. 1. 38) Vell. 2. 44. 3.
& 2. 47. 3. 39) Horn. O. P. p. 95.

non rarò depulsam historiæ memorent. Nam sic Nero olim cum Octaviæ priorem consuetudinem odisse inciperet, corripientibus amicis *sufficere illi debere uxoria ornamenta respondit, Eandemq; mox dimisit ut sterilem.* 40) Sic Dagobertus Francorum Rex ob eandem sterilitatis notam ad patrios lares remisit Gomatrudam uxorem suam. 41) Sic Carolus M. Theodoram Longobardorum Regis filiam ex eadem ratione dimisisse legitur, superinductâ Hildegarde formosissimâ Alemannorum ducis, Gothofredi filiâ. 42) Ita similiter Basilius, magnus Moscovitarum Princeps, Salomen, quam ex mille quingentis virginibus unicam elegerat, inventô sterilitatis prætextu in monasterium detrusit. 43) Et notissimum etiam est divortium Henrici IV. Gallorum Regis, Margaretham Valesiam Caroli IX. Sororem propter defectum prolis repudiantis superinductâ Mariâ, magni Ducis Thuscisæ filiâ, quod etiam divortium ipsâ Pontificis Romani auctoritate concessum approbatumq; fuit. 44)

urgente necessitate.

§. 5. Scilicet uti jam antea Fortuna conjungere inimicos, ita disjungere nunc quidem ac negligere amicos necessitas imperantes jubet, quæ quemadmodum *ultimum ac maximum telum esse creditur,* 45) sic *magnum etiam imbecillitatis humane patrocinium omnem legem frangit,* 46) Adeoq; si *parendum necessitati, quam ne Dii quidem superant* 47) sanè fortassis Reges etiam hâc urgente tot consanguinitatis omniumq; nexuum jura negligenda arbitrantur. Nam eadem necessitas olim Tiberium necessaria gloriosis præponenda esse edocebat, 48) efficaciorq; omni ratione in frigidissimô imbre aliquod remedium frigoris offerebat. 49) Ex eadem necessitate in agone interrogatus Alexander, quem sibi successorem destinaret, non de fratre Aridæo, non de Roxane prægnante, *sed de eo, qui esset optimus, responsum dedit.* 50) Quem postea similiter imitatus Nerva eadem necessitate urgente in adoptandô Trajanô, *itidem conjunctionem sanguinis postposuit utilitati publicæ.* 51) Quos omnes adhuc dum sequuntur Reges Principesq; qui ex inhumanâ necessitate omnium nexuum jura omnisq; sanguinis Charitatem negligunt.

C

§. 6. Me-

- 40) Svet. Ner. c. 34. 41) Petr. Aerod. rer. judicat. lib. 4. tit. 17. c. 4. 42) Ex Contr. à Giechten Abb. Urspr. in Chron. Svec. f. 129. sub Carl. M. 43) Sigism. Baro Hist. Mosc. 44) Thuan. Hist. lib. 125. 45) Liv. 4. 28. III. 46) Sen. Declam. 9. 4. post pr. 47) Liv. 9. 4. fin. 48) Vell. 2. 110. 3. 49) Curt. 8. 4. II. 50) Curt. 10. 5. 5. 51) Xiphil. p. 339.

Breviter: Re-
ges Matr. con-
trahunt ex Ra-
tione status.
Spectantes vel
apertè
I.
Utilitatem.

§.6. Melius omnia patebunt, si animadvertimus Charissimum apud Principes esse solere, qui utilitate præcipua potentiam eorū alat & affinitates pulcherrimas censerit quæcun- que Regnum stabiliant. Nam hætenus quasi in genere non raro conjungendos inimicos sejungendosque contra amicos Regibus esse Barcl. monuerat, nunc verò tria quasi principia & rationes in specie addit, juxtà quæ semper matrimonia sua forment ac ineant. Ac primo quidem loco est præcipua utilitas: Sic enim habet quoque monitum Urbani VIII. Pontif. Max. qui binas apes trahentes aratrum in gemmâ pretiosâ spectandas non invenustè exhibuit, incisò lemmate: *Omne tulit punctum*, quo commonefecit omnes Principes utile miscendum esse dulci, dum scilicet juxtà Horatium:

Omne tulit punctum, qui miscuit utile dulci 52)

Socrates quidem apud Ciceronem execrari omni numine solebat eum, qui primus utilitatem à natura se junxisset, eumque caput esse exitiorum omnium querebatur; 53) sed uti idem Cicero inquit *semper officio fungitur, utilitati hominum qui consulit & societati.* 54) Sic multi etiam Principum omninò cum Lyfandro sentiunt: *verum falsò esse melius, at utriusque tamen dignitatem & præstantiam usu discerni.* 55) Fingamus enim, omnes expetere utilitatem, ad eamque rapi, nec facere aliter ullò modò posse; Fingamus neminem esse, qui utilia fugiat, multos verò, qui ea studiosissimè persequantur, 56) & ad utilitatem vitæ omnia consilia factaque nostra dirigenda dicant; 57) sed dum etiam illud fingimus, utilitatem ad se rapere, honestatem 58) è contra revocare ad se solere, adeoque fieri, ut distrahatur in deliberandò animus afferatque ancipitem curam cogitandi, certè quidem Principem haud raro etiam cum honesto atque utili in animo conflictari necesse est, & quoniam in matrimonio & honestum & utile promoveri simul aut inveniri posse aut videt aut credit; Hinc est, quod tantoperè, præcipuè in matrimonio utilitatè observare soleat. Nam ut venustissimè Bœclerus autumat: 60) *Fœdera Regibus inveniuntur, pro opportunitate situs, pro respectu politico, ad alios status, Principesque præsertim ex communis alicujus utilitatis certâ destinataque estimatione. Et fixum esse debet omnibus Pragmaticis hominibus, nullum fœdus esse firmum, nisi quod communis utilitatis vinculo nexum colligatumque sit.*

§. 7. Al-

52) Sav. Embl. 42. 53) Cic. de Legg. 1. 12. Offic. 2. 3. 54) Cic. 3. Off. c. 6. fin.
55) Plut. Apophth. Lacon. c. 94. 56) Cic. 3. Offic. 57) Tac. Orat. 5. 5.
58) Cic. de Orat. 60) Bœcl. instit. polit. 4. 8. 219.

§. 7. Alterum Principium est **Potentia**, quæ quemadmodum
 utilitatî manum confert, sic à Principibus quoque per ferrum & II.
Potentiam.
 ignes, quidni etiam per matrimonia, appetitur; Imprimis cum jam
 pridem insita mortalibus *Potentie cupido*, quæ cum imperii magnitudine
 adolescit, 61) erumpitque. Ut taceam pulcherrimum proprie potentie
 ac dominationis nomen, quod innatâ quasi suâ *Majestate* ita quorundam
 præstringit oculos, ut cum *Jasone* extrâ Regnum ne minimam quidem que-
 ri posse felicitatem autument. 62) Ast quoniam cuncta mortalium incer-
 ta, 63) nihilq; tam fragile ac fluxum, quam fama potentie, non suâ vi ni-
 xæ. 64) Hinc est quod Principes potentiam cautis, quam acrioribus con-
 siliis tutius haberi, 65) quantoq; plus sint adepti, tanto se magis in lubrico
 censeant. 66) Hinc est quod ipsis charissimus habeatur, qui poten-
 tiam eorum alat. Nam id semper imperantes in more habuere, ut
 partim adversus æmulos, partim adversus vicinos inimicos plurium
 foedus ambierint, eoq;ve potentiam suam magis auxerint ac stabili-
 verint. Fecere id olim adversus Hispanum civitates confœderati
 Belgii, Helvetii item adversus *Potentiam Austriacam*. 67) Neque
 minus etiam inita quondam potentie societas inter Cæsarem & An-
 tonium, dum hortantibus orantibusq;ve exercitibus inter utrosque
 facta Affinitas, cum esset privigna Antonii desponsa Cæsari. 68) Ac
 quoniam omnibus foederibus peculiaris quædam sanctitas inesse
 aut creditur, aut saltem à potentioribus fingitur, idcirco matrimo-
 nii sanctissimum vinculum ad ea aptissimè adhiberi putant. Elean-
 tissimè de omnibus Bœclerus, *Nuptiis, inquit, & affinitate ludere, prout
 Potentie parandæ consiliis conducit, inter arcana habent, quicunq; domi-
 natum moliuntur*, 69) & verum etiam est; nusquam minus quam in-
 ter Reges matrimonia ex amicitie affectu & morum concordia con-
 trahuntur.

§. 8. Nunc tertio quoque affinitates pulcherrimæ censentur,
 quæcunq;ve Regnum stabiliunt, indeque tertium emergit principi-
 um nempe stabilimentum Regni, quod & utilitatem & Poten-
 tiam simul quasi includere videtur, tanquam media, quibus stabiliri III.
Stabilimen-
tum Regni.
 Regnum poterit. Sic enim est: *Regnum est res inter Deos hominesq;*

C 2

pulcher-

- 61) Tac. 2. Hist. 38. 1. 62) Arist. Polit. 3. 3. 63) Tac. 1. Ann. 72. 2. 64) Tac.
 13. Ann. 19. 1. 65) Tac. 11. Ann. 29. 2. 66) Tacitus 1. Ann. 72. 2.
 67) Bœcl. instit. Pol. 4. 8. 218. 68) Vell. 2. 65. 2. 69) Bœcl. not. Vell.
 2. 44. 3.

pulcherrima. 70) Hinc cupidō dominandi cunctis etiam affectibus
 evadit flagrantior; 71) Adeoque quoniam, qui Regnum stabilire
 contendit, & utilitatem, & potentiam simul promovere laborat; Sa-
 mē tot quoque in regni stabilimentum contracta matrimonia illu-
 stria sese offerunt, ut nullum propemodum Regnum inveniatur,
 quod non ingentem ejusmodi exemplorum copiam omni seculo ex-
 hibeat. Sic enim Darius Persarum Rex, principio Regni, Cyri re-
 gis filiam, regalibus nuptiis regnum firmaturus, in matrimonium
 recepit, ut non tam inextraneum translatum quam in familiam Cyri re-
 versum videretur. 72) Sic eodem consilio Lycus ille apud Senec. nu-
 ptias Megaræ ambit, inqviens:

— Alieno in loco

Haud stabile regnum est; una sed nostras potest

Fundare vires, juncta regali face.

Thalamisq; Megara. 73)

Et ut nobiscum habitemus, sanè ita Maximilianus I. Imperator, cum
 conjugē Mariā, ultimī Burgundiæ Ducis Caroli filia, obtinuisse cum
 Burgundiā, inferiorem quoque Germaniam legitur, ubi itidem suc-
 cessu temporis Filius ejus Philippus per Johannam Ferdinandi Ca-
 tholici & Isabellæ uxoris ejusdem filiam, totam sibi Hispaniam sub-
 jecit. 74.) Ita similiter Philippus II. Caroli V. filius, beneficio con-
 jugii Paterni, & Isabellæ matris, Emanuelis Lusitaniæ Regis filia,
 Portugalliam suis Regnis addidit. 75) Sic Ferdinandus I. Rex Roma-
 norum, Caroli V. frater, cum Annā, Ladislai Regis Hungariæ filia,
 ipsum regnum Hungariæ sibi acquisivit. 76) Ac modò Sabaudia duc-
 catum leviter inspiciamus, nullum propemodum restat dubium, quin
 per centum ferè annos ejusdem Duces per matrimonia regia, & affi-
 nitates secum omni suo statu in præsentiarum usq; conservarint. 77)
 Si Angliam tangimus, sese statim offert Henricus VII. ejusdem Rex,
 qui conjungendo Rosam albam cum Rosa rubra, h. e. adjungen-
 do sibi per matrimonium Elisabetham, Eduardi IV. unicam filiam,
 potentiam Regum Britannia maximè operè stabilivit. 78) Nam cum
 ipse familiae Lancastrensis sive Rosæ rubræ caput, Richardum III.

Rosæ

70) Liv. 2. 9. med. 71) Tac. 15. Ann. 53. 5. 72) Justin. lib. 1. 20. 73) Senec.
 Herc. Fur. 343. 74) 75) Myler. ab Ehrenbach Gamolog Person. Im-
 per. illustr. 76) Joh. Sambuc Rer. Hung. append. 77) Myl.
 Ehrenb. Gam. 78) Horn. O. P. p. 92.

Rosæ albæ sive familiæ Eboracensis principem in prælio interfecisset, nulla securior ipsi ad stabiliendam potentiam via videbatur, quam copulatione hujus Elisabethæ. Et ne quicquam Britannia in unum corpus redigendæ deesset, quod nullis hæcenus bellis fieri potuerat, idem ipse conjugio inter Reges Angliæ Scotiæque statuit perficere. Dum filiam suam Margaretham matrimonio conjunxit cum Jacobo IV. Rege Scotiæ, cujus filius Jacobus V. hujusque ex Mariâ filia nepos Jacobus VI. extinctâ familiâ regiâ Angliæ in Elisabetha, Britanniam primus ab orbe condito in unam monarchiam redegit. 79) Et quid quæso hodie in Gallia adhuc dum frequentius, quàm per matrimonia Principum fœminarum plurimos imperiû Principes sibi devincire ac conjungere, & ita quidem ut semper, quod apud alios etiam Principes solet, locum ibidem inveniatur Ratio status & matrimonium ad majora nitenti decus ac robur fuerit. 80)

§. 9. Si aperto & sincero consilio hæc minus ex voto videntur procedere, fallaciis & fraudibus se dedant Principes pro more est: Et scio, inquit Meleander, à Regibus sæpè filias aut sorores spargi in eos, quos fallere amicitia specie volunt. Sic enim Antonius quoque Triumvir, *nuptiis sororis ab Augusto illectus, mox subdola affinitatis pœnas morte exolvit.* 81) Sic Mithridates à Rhadamisto, qui Socerum eum ac parentem appellabat fraude circumventus ac occisus est, 82) Et quanquam declinaverit hoc periculum Antipater, tamen nihilominus Perdicas sub ejusdem affinitatis calido obtentu eundem capere cupiebat. 83) Adde nunc quod ipsæ etiam sacræ literæ Davidem in exemplum offerant, ab infensissimo Saulo ideo in generum electum, ut sc. his matrimonii vinculis irretitus, veluti fera in cassibus occideret; & omnino periisset quoque, nisi singulari tutamine Deus, inter tot ac tantas inimicorum insidias. 84) fospitem eum ac incolumem servare voluisset. Ex quibus omnibus hæud difficile colligere possumus: *Abditos Principum esse sensus, & si quid occultius parant exquirere illicitum anceps, nec ideo assequare* 85). Eos non raro offerre aliis fucum, longè subtiliorem purpurisô Solimanni, quò ad fallendos exterorum Legatos faciem illinere solitus fuisse creditur. 86) Dumque soli vendunt fumum privati interd-

vel occulte
L.
Fallere.

C 3

- 79) Franc. Baco Verulam. Hist. Heinr. VII. Ann. 10. 5. 80) Tac. Agr. 6. 1. 81) Tac. 13. 18. 21. 82) Tac. 12. Ann. 47. per tot. 83) Just. 13. 6. 84) 1. Sam. 85) Tac. 1. Ann. 6. 8. 86) Busbeq. ep. 1. p. 77.

Etum, 87. non rarò iisdem quasi necessarium videtur, ut frequentimendacio & deceptione ad subditorum utilitatem, alios quoque eludant ac circumveniant. 88) Adstipulatur egregiè ipsis seculum, in quo decipere pro moribus temporum Prudentia estimatur 89) Nam vel ipsum matrimonii sanctissimum foedus à fallaciis & dolis planè non liberum est. Non uberius cumulamus exempla, quoniam ex antiquis supra quædam delibavimus, de recentioribus verò nonnullis fatius est cogitare quàm scribere. 91)

II.
Placare ad
tempus.

§. 10. Qualia hætenus matrimonia & nuptias Regum notavimus, talia nunc quoque sequuntur foedera & paces. Non ex fide & amicitia, sed ex usu dominationis & ad occasiones fraudis tantummodo dispensata, quæ erudito emblemate comparantur aquis, ab Ætnâ leni strepitu prolabantibus, sed propter igneum fervorem malè cum vicinis undis coeuntibus. 92) Supra ineunda erant foedera ad stabilitamentum Regni, nunc verò in his foederibus, videndum, quomodo iisdem commodissimè decipiatur hostis. Sic enim solent Reges ad tempus tantummodo placare inimicos suos & hoc quoque nonnunquam in laudem ipsis cedit, non palam & armatos, sed fraude & occultis hostes suos ulcisci. 93) Ubi omne huc referri poterit, quicquid prolixius supra de jungendis etiam per sanctissima foedera inimicis, monitum fuit. Et decepti sunt ita apud Romanos imagine pacis Pompejus, Lepidusque specie amicitiae. 94) Sic Sugambri pariter in deditioem accepti, Sveviqve, Rexqve Maroboduus ipse pace obstrictus, 95) ad tempus seipsum ut placatos exhibuere. Imprimis verò huc quoque spectat notissima illa Regum dissimulandi ars ac scientia, sine qua sive Fridericus I. Ænobarbus sive Sigismundus Imperator nec præesse quidem aliquem suo Regno posse statuerunt, dicentes: *Nescit regnare, qui nescit dissimulare.* 96) Nam dum nemo celerius opprimitur, quam qui nihil timet. 97) Et frequentissimum initium calamitatis, securitas est, 98) Cautè non rarò dissimulare Reges inimicitias norunt, donec improvisò impetu in incautos hostes irruere, eosqve iterum inquietare commodum videatur. Quà arte etiam præ omnibus aliis excelluisse quondam Tiberium notum est,

qui
87) Boccac. Relat. ex Parn. cent. 2. 65. 88) Plato lib. 5. Rep. it. ib. lib. 3. & lib. 2. de Leg. 89) Plin. lib. 8. Ep. 18. 90) Sen. Agam. 283. 91) Bœcl. ad Tac. p. 364. 92) Sæved. Embl. 93) Tac. 2. Ann. 88. 1. 94) Tac. 1. Ann. 10. 4. 95) Tac. 2. Ann. 26. 4. 96) Clapmar. arc. Imp. 2. 11. 97) Vell. 2. 118. 4. 98) ib. 2. 118. 2.

qui nullam, ut rebatur, ex virtutibus suis æquè quàm dissimulationem diligebat, 99 eademq; itidem non prius ipsum, quàm corpus quàm vires deseruit. 100)

§. II. Auctor noster pergit & asserit Reges nihil sui sanguinis pignoribus, nihil nominum, quæ mutuò inierunt, reverentiâ motos, pacem & bella ex temporum & fortunæ æstimare ingenio. Concedunt quidem multi ex Politicis, & asserunt Principem aut Regem duplici Prudentia debere benè præmunitum esse, Togatâ scil. & militari. Illâ nempe ut in quotidianâ gubernatione, tranquillisque rebus & in pace regnò suò prospiciat; hæc ut in bellò, rebusque turbatis. 1) *Firmanda enim est omninò Resp. non armis modo, neque adversus hostes, sed quod multò majus multoq; asperius est, bonis etiã pacis artibus.* 2) Huc pertinet omne, quod ipse Imp. Justinianus proæmio Institutionum adstruit: Imperatoriam majestatem non solum armis decoratam, sed etiam legibus oportere esse armatam, ut utrumque scil. tempus, & bellorum & pacis rectè possit gubernari. 3) Et exinde Homerus Agamemnonem suum hoc egregiò exornat elogiò, quod sit

Ἄμφότερον βασιλεύς ἢ ἀγαθός, κρατερός ἢ αἰχμητής :

Utrumque ἔστω rector bonus, ἔστω bonus induperator. 4)

Quantquam excellentibus ingeniis citius defuerit ars, quàm civem regant, quam quàm hostem superent. 5) Attamen Reges nec sui sanguinis pignoribus, nec nominum, quæ mutuò inierunt, reverentiâ moveri, quo minus aut pacis aut belli rationem habeant, hoc majus quiddam est, & altiore meretur disquisitionem. Nihil quidem obstitit affinitas, quin Arryban Epiri regem uxori suæ Olympiadi arctissimâ cognatione junctum Philippus regno pepulerit. 6) Nec etiam Cæsarem hæc detinuit, quo minus in generum Pompejum infensissima sua arma dirigeret. 7) Imò adhuc hodiè quòque nullum propemodum bellum populatur orbem, in quò non semper aliquid vel consanguinitatis vel affinitatis inter hostes observare liceat. *Et cur etiam obstet Regibus affinitas aut consanguinitatis nexus, inquit Bœclerus, 8) dum nihil sancti in affinitate illi cognoscunt, qui affinitates inter instrumen-*

99) Tac. 4. Ann. 71. 3. 100) Tac. 6. Ann. 50. 1. 1) Lips. Polit. 4. 2. 1. 2) Sallust. orat. 1. de Rep. ord. ad Cæs. init. 3) Inst. proæm. 4) ex quæst. Bernegg. ad Tac. 210. 5) Liv. 2. 43. 12. 6) Just. 5. 6. 7) Vell. 2. 47. 2. & 2. 44. 3. 8) Hæc omnia Bœcl. sunt ac Tac. p. 363.

strumenta potius decipiendi habent. Imò verò crederem tunc infensius exacerbari odia, quæ aliquandiu sub velô affinitatis latuere; fierique adeò ut gener invisus, inimici soceri, quæq; apud Concordes vincula charitatis sunt, incitamenta irarum apud infensos reperiantur. 9) Hoc tantummodò optimum ac præstantissimum est, ut bellorum, ita pacis etiam hîc mentionem à Barclajo injici. *Nam illi certè egregii bellorum fines sunt, quoties ignoscendo transigitur, 10) & omne etiam bellum sic suscipitur, ut nihil aliud, quam pax armis quæsitâ videatur. 11)*

I.
Tempus.

§. 12. Nunc restant adhuc duo explicandi turbines, quibus nempe efflatæ Regum principumque naves ad tam horrendos scopulos & saxa impingere soleant. *Tempori nimirum inserviendum est, & si in occasionis momento, cuius prætervolat opportunitas, cunctatus paululum fueris ne quicquam mox omissam quæaris. 12)* Quare ut illud eò diligentius observaret, tanquam pro symbolô Theodosius junior: *Tempori parendum, usurpare solitus est, 13)* & monet exindè Cicero, *temporibus omninò assentiendum esse, 14)* *Vetera enim esse præcepta sapientum, qui jubeant tempori parere, & sequi Deum, nos omnes omninò oportere, 15)* adhæc Temporibus parere, omnes pariter *πολιτικός*, præcipere, 16) Sed utinam modò nobilissimus Arpinas præcepti, quod toties inculcat perpetuò, ipse memor fuerit! intempestivò enim & alienissimò tempore Philippicarum fulminibus aggressus est Antonium, vel ipso Bruto teste, qui ita in quâdam ad Atticum Epistola 17) inquit: *Optimò animò fecisse Ciceronem omnia scio: quid enim mihi exploratius esse potest, quam illius animus in remp? sed quædam mihi videtur, quid? dicam imperitè? vir omnium prudentissimus, an ambitiosè fecisse? qui valentissimum Antonium suscipere pro Rep. non dubitavit inimicum. Credebat scilicet pari successu in Antonium se dicturum ac quondam Consul in Catilinam, sed conatu planè irritò ac intempestivò. Melius certè Reges ac Principes sibi prospicere solent, qui pacem & bella prudenter ex temporum ingenio æstimare callent. Non dissimiles hâc in parte Hamilcari Carthaginensi, qui quamdiu aliqua Carthaginensium rebus spes reliqua fuit, omnia molitus est: ubi verò ea penitus occiderat tempori cedens, de fœdere cum L. Lu-*

Etatio

9) Tac. 1. Ann. 55. 5. 10) Tac. 12. Ann. 19. 3. 11) Cic. 1. Offic. c. 23. 12) Liv. 25. 38. 13. 13) Not. Freinsh. ad Curt. 7. 7. 10. 14) Cic. lib. 1. Ep. Fam. 9. 15) Cic. 3. de fin. 16) Cic. lib. 2. Attic. Ep. 50. 17) Cic. Libr. Ep. ad Brut. Ep. 17.

Etatio Conf. egit. 18) Absimiles verò longè veteribus, qui semper nisi addicentibus auspiciis pugnare verebantur, 19) itidemque Deos fœderum præfides, illisq; testibus pacem firmari sibi imaginabantur. 20) Nam Reges semper infixum illud animò habent, necessitatem ante rationem esse, maximè in bellò, ubi rarò permittatur tempora eligere. 21) Utque etiam pacem ex temporum ingenio aestiment, iidem inter tot bellorum hostiumque agmina non rarò se præsentì tempori cum Agrippâ subducunt, 22) in itaq; pace discrimina omnia hostilis turbæ eludunt.

§. 13. Superest igitur adhuc Fortuna, quæ similiter Regibus & Pacem & bella elicere ex ingenio dicitur. Nam quamvis rarò aliàs hominibus bona mens simul, & bona Fortuna datur, 23) Attamen suam semper in consilio Fortunam habeat necesse est, qui de alienâ deliberat, 24) & id est viri pariter ac Ducis, non deesse Fortunæ se præbenti, & oblata casu ad consilium flectere. 25) Hinc quidni Reges etiam exinde prudenter Fortunam observare, & pacem & bella ex ejus ingenio aestimare discant. Notum aliàs Catonis Porcii est elogium, quod quocunq; loco natus esset, Fortunam nihilominus sibi ipsi facturum visum fuerit. Hoc non incongruè quoque ad reges & Principes applicare licitum erit quoniam similiter illi, & pacis & belli tempora ex fortunæ arbitrio, judicare atque amplecti solent. Norunt enim optimè, cum in omnibus rebus, tum præcipuè in re militari Fortunam plurimum posse; 27) neque minus etiam illud succurrit, quod in pace non rarò destinata salubriter omni ratione potentior Fortuna discutiat. 28) Hinc quid si & ipsi pacem & bella ex Fortunæ ingenio discriminant. Certè

Ut quisque Fortuna utitur

Ita præcellet, atque exinde sapere eum omnes dicimus, 29)

Vetus proverbium est. Et hac usus quondam Cæsar & virtute & Fortuna suâ expugnavit Perusian; 30) hanc præditus Scip. Æm. Africanus fortunæ virtutiq; expertæ in Africâ, respondit itidem in Hispania; 31) imò propter hanc Maximo, Marcello, Scipioni, Mario, & cæteris magnis Imperatoribus non rarò imperia mandata, atque

D

exerci.

18) Polyb. lib. 1. 19) Freinsh. ad Curt. 7.7.10. 20) Tac. 12. Ann. 47. 2.

21) Curt. 7.7.10. 22) Vell. 2.93.3. 23) Liv. 30.42. fin. 24) Curt. 5. 5.12. 25) Liv. 28.44. med. 26) Lic. 39.40. princ. 27) Cæs. Comment. bell. Gall. 6.30. 28) Curt. 3.8.29. 29) Plaut. Pseudol. act. 2. sc. 3.

30) Vell. 2.74.4. 31) Vell. 2.4.2.

II.
Fortuna.

exercitus esse commissos existimandum est. 32) Quos omnes adhuc hodiè quoque imitantur Reges & tam pacis quam belli tempore sollicitissimè Fortunam in consilium advocant. Nam sic legimus etiam non ita pridem *inter Hispanos atque Gallos esse ac redisse belli æstum, pro libidine recipiantis fortunæ, cui semper in ludibrium sunt regna ac reges.* 33)

MEMBRUM III.

DE

MORALITATE MATRIMONII ILLUSTRIS EX RATIONE STATUS.

§. I.

HActenus igitur quæ de factò Reges Principesque matrimonia ambientes, peragere soleant, nunc quid de jure maximè iisdem liceat, quidve debeant, dispiciendum est. Sanè enim si

— componitur Orbis

Regis ad exemplum. 34)

Nec tam imperio subditis opus, quam exemplò, 35) quidni etiam rectè facer cives suos, Princeps optimus faciendò doceat; ipseque imperio maximus exemplo major sit. 36) Quapropter si ex Ratione Status aliquid humani fortè Reges passi sunt; si propter communem utilitatem paululum à Recto deviarunt, meritò tamen iis ex avio in veram semitam, ex abrupto præcipitio in jucundam planitiem, iterum redeundum esse statuimus, ne sc. quales in Rep. Principes, tales etiam reliqui soleant esse cives. Indè ut eò melius verum à falso dignoscatur semi-decas quæstionum à nobis proposita vel falsum rejiciet, vel verum approbabit. Et harum quidem

I.

deducta est ex §. I. Membr. II.

An probandum scilicet, Reges admodum infantes sibi invicem desponderi?

Quamvis Romani sponsalia à parentibus liberorum nomine, etiam in cunis adhuc vagientium, contracta toleraverint, attamen

32) Cic. pro Marcell. 33) Grammond. Hist. Gall. lib. 13. pag. 600.

34) Claud. 4. Conf. Honor. v. 299. 35) Plin. Paneg. c. 45. fin.

36) Vell. 2. 126. 5.

men Augustus *cum immaturitate sponſarum vim legis eludi ſentiret, tempus ſponſas habendi coarctavit.* 37) Quem ſecutus poſtmodum Modesti-
 nus. 38) Et ne unquam ante ſeptimum ætatis annum ſponſalia con-
 trahantur cavit. Et fatemur quidem plurima hinc inde in auctori-
 bus obvia inveniri exempla, uti etiam ſupra breviter quædam deli-
 bayimus. Sed ſi omnia illa Principum matrimonia plus ex juſto
 quàm ex facto ponderemus, aut planè nulla, aut certè admodum in-
 valida eſſe liquet. Nam I. poſtmodum in adultis facilè pingvior
 conditio excludere poteſt priorem. Vel II. etiam animi faltè leviculâ
 offeſſione ob lubricam ætatem enatâ, pubeſcentes tandem reſilire
 poſſunt. Imò III. arcana quædam alia Ratio Status cur non tem-
 poris interventu priora ſponſalia annihilare valeat? Ad ſingula Ar-
 niſæus quàm plurima ſubminiſtrat exempla, 39) quæ, quo minus
 apponerem tantum paginæ ſpaciū prohibet. Hoc verum eſt IV.
 matrimonium ex mutuò conſenſu debere contrahi, adeoque Paren-
 tes diſſidentibus liberis irrita tantum ſponſalia celebrare, quæ ab
 illis in adultâ ætate pro arbitrio poſtmodum aut negligi planè, aut
 etiam eludi poſſint. Modò in eò ſibi caveant, ut nec expreſſo, nec
 tacito conſenſu priora ſponſalia approbent. 40) Et ut de privatis
 hoc adſtruimus, ſic nihil impedit, quo minus in perſonis quoque il-
 luſtribus locum id habere aſſeramus. Adeoque ob infirmitatem,
 regum admodum infantum habita ſponſalia, vel planè non proban-
 da vel certè etiam planè nulla judicanda eſſe. Niſi fortè & iterum
 malis: *Regibus in parvis non rarò à Juſtitiâ abeundum, ut ſc. eò com-
 modius ſalvam eam in magnis conſervare valeant.* 41)

II.

Ex §. 2. Membr. hujus.

Quæſt.

*An rectè illuſtri loco nati, conditionis humilioris
 matrimonio ineant?*

Affirmat hanc quæſtionem integro tractatu, Henricus Salmuth
 Salmuth Jctus, eumque appellat Reſponſum juris pro matrimo-
 nio

D 2

37) Svet. Aug. c. 34. 38) L. 14. ff. de Sponſ. 39) De Jur. Connub. c. 2.
 Sect. 2. n. II. ſq. 40) Canonist. cap. 1. cauſ. 30. quæſt. 2. 41) Plut. in
 Polit. c. 56.

niò Principis cum virgine nobili, 42) Et quanquam hinc inde exempla prostant, illustri loco natos plus unâ vice matrimonia humiliora ambiisse. Tamen nihilominus cum Berneggero, 43) Arniseo 44) & Piccarto, 45) negatam volumus hanc quaestionem. Et quidem I. quoniam cavendum est, ne splendor familiae antiquae, inaequali connubio imminuatur. Publicè enim interest, ut dignitas ordinum & familiarum salva sit. Unde gravissimè olim Patres in rogationem Canuleji invehebantur; 46) dicentes: *Colluvionem gentium, perturbationem auspiorum publicorum privatorumq; offerre Canulejum, ne quid sinceri, ne quid incontaminati sit: ut discrimine omni sublatò, nec se quisquam, nec suos noverit. Quam enim aliam vim connubia promiscua habere, nisi ut ferarum propè ritum vulgentur concubitus plebis patrumq; ut qui natus sit, ignoret, cujus sanguinis, quorum sacrorum sit, dimidius patrum, dimidius plebis, ne sibi quidem ipse concors.* Conf. eund. lib. 10. 2. p. Tac. 6. Ann. 27. 1. & 3. 29. 4. II. Inevitabilis quoque discordia ex tam evidenti inaequalitate pertimescenda est, nam semper *in-aequalium conjunctio haud concors & stabilis esse potest.* 47) Et sic olim Theodosius Imperator Eudoxiam suam, Atheniensis Philosophi filiam, licet eam ab initio perditè adamaverit, tandem tamen sub praetextu Religionis Hierosolymam misit, non sine suspitione alienati animi. 48) Sic Henrico Stuardo regium conjugium ademit vitam cumq; vix unò anno Mariae Reginae maritus fuerit, tandem clanculum autoritate dejectus, & per insidias interfectus est; 49) Accedit similiter III. partem ignobiliorem vix effugere posse amicorum illustrium & agnatorum cocontemptus, semper ut indignos eos ac despectos respuentium. Nam sic cautè etiam Julius III. Pontifi M. Henricum II. Gallorum Regem Balduino, fratris filio, virginem Regii sanguinis in matrimonium offerentem, ludificatus est: Responsum referens: *Quum ex nobilissima omnium quae fuissent familia Rex prognatus esset, tam se ac suos omnium quae viverent, mortalium ignobilissimos agnoscere, proinde nuptias inter inaequales contrahi non posse.* 50) Adderem etiam IV. liberorum turbas ex impari conjugio prognatorum, quos alii semper ut indignos ad successionem respuunt, uti exemplo.

42) Edit. Jen. anno 1660. 43) Quaest. Tac. 177. 44) Cap. 3. Sect. 5.
 45) lib. 6. c. 3. 46) Liv. 4. 2. med. 47) Arist. 8. Eth. 1.
 48) Zonar. Theod. 49) Buchan. Hist. Scotiae lib. 17.
 50) Thuan. Hist. 14.

emplô Artemenis ex Xerxis abundè notum est, 51) Sed jam quemlibet aliàs quoque exprobrare credo factum Erici XIV. Regis Suetiæ, qui aliis perpetratis scelerib. etiam hoc addidit, quod cum Catharinâ licitoris filia, ut creditur, matrimonium inire non sit veritus.

III.

Ex §. 4. Membr. II.

An propter defectum sobolis Regibus ex ratione status divortium committere liceat?

ROmani gentiles à divortiis quàm maximè abhorruere, ita ut nullum repudium inter virum & uxorem à conditâ urbe, usque ad annum DXX. intercesserit. 52) Quidni nos Christiani sine ullis ambagibus Principibus etiam divortia illa denegemus. Nam I. impugnant & contrariantur expressè mandato divino: 54) *Quicumq; dimiserit uxorem suam, exceptâ fornicationis causâ, facit eam mœchari & quicumq; dimissam duxerit, adulterat.* II. Finis matrimonii non tantum est procreatio sobolis; sed etiam extinctio pravæ libidinis, & mutuuum adjutorium. Nam sic rectè August. *Non in solâ ut deliras, commistione Maris & fœmine nuptiarum veritas est: quamvis sine illâ commistione filios procreare non possint; sed alia sunt ad nuptias propriè pertinentia, sicuti est thori conjugalis fides & cura ordinata filios procreandi, & bonus usus mali, hoc est bonus usus concupiscentiæ carnis, quo bono adulteri malè utuntur.* Accedit III. quod sterilitas à Deo proveniat, uti sterilitatem suam Sara profitetur, & *ecce conclusit me Dominus, ne parerem* inquit: 56) Sic Psalmista Fœcunditatem inter notas divinæ benedictionis numerat. 57) Sed addendæ etiam sunt rationes politicæ, quarum præcipuæ sunt IV. Odium repudiatæ conjugis, de quô Poëta, 58)

*Quàm cruentus fœminas stimulat dolor
Cum patuit una pellici & nuptæ domus.
Scylla & Charybdis, Sicula contorquens freta
Minus est timenda: nulla non melior fera est.*

D 3

Quod

51) Just. 2. 10. 52) Thuan. lib. 43. sub fin. 53) Val. M. lib. 2. 1. 54) Matth. 5. 32. 55) Contra Jul. cap. 11. caus. 32. quæst. 1. 56) Gen. 16. 2. 57) Ps. 127. 3. & Ps. 113. 9. 58) Sen. Herc. Oet. v. 233.

Quod insequitur postmodum patrociniū propinqvorum. V. injurias expulſæ vindicantium. Atverò quid tam egregium, quàm magnitudinem ſuam juſtitiâ tueri, ſine cupiditate, ſine impotentia nulla non provocare bella. 59) Breviter: quid jucundius imperiò pacificò?

IV.

Ex §. 9. Membr. ejusdem.

An ſubdolam affinitatem Reges facere conſeſſum ſit?

Non verebimur hic veſtigiis Lipſii 60) inſiſtere, qui dolos ac fraudes Principum in leves, medias & magnas dividit: Et leves quidem deſcribit, quod haud longè à virtute abeant, malitiæ rore leviter aſperſæ, interq̃ve illas Diffidentiam & Diſſimulationem refert ac à Regibus Principibusq̃ve adhiberi, omnimodò probat. Medias appellat, quæ ab eâdem virtute ſeclunt longius, ita ut fermè ad vitii contubernia veniant, & inter has ponit Conciliationem atq̃ve deceptionem, cum inclinat princeps ad eorum animos, qui alieni juris ſunt, aut etiam, cum errore ac mendaciò objectò inducit alium in ſua commoda. Et has fraudes non tollit Lipſius, ſed tolerat. Afert quidem dicta mendacium planè prohibentia, attamen quoniam Auguſtinus quoq̃ve genera quædam mendaciorum eſſe dixit, 61) in quibus non ſit magna culpa, ſed tamen non ſint ſine culpâ, concludit tandem, corruptiunculas, deceptiunculas, utcunq̃ve tolerari debere, vel tunc ſaltem, cum à bono legitimoq̃ve Rege contrà malos uſurpentur, boni communis cauſa. Sin aliter, ſæpè non tantum peccatum, ſed etiam grande peccatum committi. Poſtremo *Maximas* idem appellat fraudes, quæ non à Virtute ſolum ſed legibus etiam recedant, malitiæ jam robuſtæ & perfectæ, uti ſunt Perfidia & injuſtitia, hasq̃ve planè reſpuit ac damnat. Igitur ut intelligamus, quid de ſubdolâ affinitate Regum cenſere debeamus, propter varias eoq̃; infinitas rationes, ex quibus matrimonium illud contrahitur; ſedulò ſaltem reſpiciendum eſt, ad quam claſſem ex his dictis commodè referri queat, & tunc vel probandas vel tolerandas, aut etiam planè damnandas ejusmodi affinitates eſſe dicimus.

V. Ex

59) Tac. Mor. Germ. 35. 4. 60) Lipſ. Civ. Doct. 4. 14. 61) in Pl. 5. tom. 8. col. 27. c.

V.
Ex §. II. Membr. II.

Quæst.

*An pax ex Matrimonii fœdere coalita, à Rege iterum
rumpi possit sine perfidiæ maculâ?*

Non immeritò hîc discrimen facimus, & à malo nobis præcave-
mus, quod uti turpe, ita frequens etiam, & sub Prudentiæ nomi-
ne olim hodieqve in fraudem generis humani adornatum est, cum
scilicet non rarò haud fides colitur, sed fidei tantùm color ostentatur;
non amicitia, sed amicitia species; non pax, sed imago pacis; non
fœdus, sed simulatio fœderis; non facta, sed verba sæpissimè lo-
cum habent. 62) Sanè si legitimò more & receptâ inter Principes
consuetudine sanctè & ex fide sancitum etiam cum hoste, fœdus fuit,
inque pignus fidei postea contractum matrimonium, tunc omninò
summam fœderum religionem esse, nec unquam nisi à perfido Rege
rumpi oportere, statuimus. Imò verò *potius Deorum Numen cum
ipsis facere, qui fidem conservarunt*, 63) credimus, adeò ut *Dii fœde-
rum ultores nec insidiis nec virtuti hostiũ desint*. 64) At verò si in frau-
dè tantummodò, & ut pax ad tēpus saltē coalescat, sine legitimis & cō-
suetis fœderũ solennitatibus, filia aut soror regis hosti nupta fuit: si in
bella deniq; & arma iterũ eorũ furor sæviat, tunc ambigit certè animò,
an perfidiæ nomine eorũ impetò cognominari mereatur. Dicimò po-
tius Reges tunc quidē fraudulenter, sed non perfidè agere, & rumpere
fœdus, quod revera nunquam fœdus, sed tantum simulatio fœderis
fuit. Nam I. licet per matrimonium ad interim placatus hostis,
projectis armis pacem quam bellum maluerit. Si solenni ritu fides
data absit, nihil minus affinem in alterum affinem bella gerentem,
quam perfidiam committere, notum est. Et fortasse II. idem, nisi
ab hoc præventus, simili arte elusisset hostem. Si fœdus sancendum
erat, III. solitis celebritatibus id ratificari omninò necessarium
erat, matrimonio verò inito, non fœdus, sed conjunctio sanguinis
saltem comparatur. Breviter; si Alexander Darii filiam nuptiis si-
bi junxisset, non commisisset perfidiam, licet post aliquot annos
eundem Darium iterum bello lacesivisset 62)

Nunc

62) Bœcl. ad Tac. 1. Ann. 10. p. 356. 63) Nep. 17. 2. 5.
64) Flor. 3. 11. 6. 65) Curt. 4. 5. 1.

QX
TH
4836

Nunc voto tandemmodò finiendus labor est:
Sancte DEus, qui sceptrâ facis concordia Regum.
Cum thalamis tædisqve sacrum compingere fœdus,
Da, da sollicitis jungantur brachia dextris
Pacifîcâ velata togâ. Fac regna resurgant
Conjugiis suffulta Ducum, tutamqve quietem.
Turbatæ reddant patriæ melioribus armis.
Sat Marti bellisqve datum, sat propria sævo
Viscera crudelis secuit Germania morfu!
Pace juvat non ense mori. Nunc alma recurrat
Irene & nostris societ connubia terris,
Quæ rabies furibunda strepit tot fulmina belli
Hæc modò tu jubeas lætò se fine triumphet
Et thalamis junget pacatò fœdere nuptam!


SOLI DEO GLORIA.



TH

MC





rad
 fun
 ti p
 cla
 ent
 ut n
 pon
 fac
 res
 pub
 scri
 Ide
 mu
 pra
 per

No
 ma
 & r
 ri
 stu
 que

